Polonorum Rex.

Marquardi Christophori: Oratio gratulatoria, quam in diem nominalem Serenis. ac Potentiss. Principis ac D. D. Johannis III. Regis Poloniae - ipsa die XXIV. Junii A. 1683 habuit.

ORATIO GRATULATORIA,

QUAM

IN DIEM NOMINALEM,

Serenissimi ac Potentissimi

PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

JOHANNIS III.

REGIS POLONIÆ

MAGNI DUCIS LITHUANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, KIJOVIÆ, VOLHINIÆ PODOLIÆ, PODLACHIÆ CZERNICOVIÆ,

&c. &c. &c.

PII, FORTIS, FELICIS,

PATRIS PATRIÆ,

DOMINI SUI CLEMENTISSIMI

IN ACADEMIA FRANCOFURTANA,

Ipsa die XXIV. Junii A. M.DC. LXXXIII.

Habuit

CHRISTOPHORUS MARQUARDUS,

ELBINGENSIS BORUSSUS.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Cœpselii, Acad. Typogr.

SERENISSIMO ac POTENTISSIMO
PRINCIPI ac DOMINO,
DOMINO

JOHANNI III.
REGI POLONIARUM,

MAGNO DUCI LITHVANIÆ, RUSSIÆ,
PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, KIJOVIÆ, VOLHINIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ,
CZERNICOVIÆ,
&c. &c. &c.

PRINCIPI OPTIMO, FORTISSIMO,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME AC POTENTISSIME REX,
DOMINE CLEMENTISSIME,

INter tot Publicos privatosqve Gratulantium applauſus, & ego SERENISSIMAM MAJESTATEM TuAM humillime accedere proſumo: Poſtremum fortè nunc locum inventurus, ſed in eo prærogativam ſperans, qvod exoptatisſimos ſucceſſus Armorum TUORUM, Qvibus UNIVERSAM EUROPAM in admirationem TUI rapuiſti, dum alii nunc prædicant, ego non Vanus Vates Virtutis Felicitatisqve TUÆ prædixerim, & illo qvidem tempore, qvo HUNGARIÆ, GERMANIÆQVE periculum ab immani Hoſte ingruebat qvam maxime. Securus namqve eram, non poſſe periclitari navigium iſtud, qvod CÆSAREM, Fortunamqve TUAM vehebat. EANT nunc SCOTI & JOHANNIS nomen REGIBUS SUIS ominoſum eſſe credant: JOHANNIS nomen POLONIÆ TUÆ, HUNGARIÆ, imo toti ORBI CHRISTIANO auſpicatisſimum eſſe TU probaſti: TU exemplo DIVI JOHANNIS BAPTISTÆ militem Barba-

rum non pœnitentem, ſed pœnis dignum docuiſti, *ne cui injuriam faceret & rebus ſuis eſſet contentus.* Audivit imo ſenſit Hoſtis Ferociens neceſſarium hoc præceptum, & protinus ad ſua refugit, imo non ad ſua, ſed CHRISTIANIS injuſte erepta; Indignus ſanè tam opulentis ORBIS partibus Barbarus, qvia cum recta ratione regere neqvit; Nec in his nunc amplius tutus, ſed exemplo tumentis illius BENHADADI, ab uno clauſtro in alterum fugiens. Hanc Felicitatem, in GRATIOSISSIMO NOMINE TUO contemplantur nunc Boni Probiqve Omnes, ego non vano Augurio illis præluſi, eaqve de cauſa tantò confidentiùs hoc humillimæ ſubjectionis meæ ſpecimen SERENISSIMÆ MAJESTATI TUÆ offero. Patere igitur, REGUM OPTIME, ut humillime deoſculetur Pedes TUOS, infimumqve locum inter ea, qvæ Benigno Vultu proſeqveris, ipſi concedere non dedignare. Ita DEUM rogabo, ut felicitatem TUAM novis indies incrementis augeat, TEQVE in ſalutem SUBDITORUM TUORUM, Totiusq; EUROPÆ, in multa ſecula incolumem præſtet.

SERENISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ

Humillimus Servus

CHRISTOPHORUS MARQVARD.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,
PERILLUSTRIS GENEROSISSIME
DOMINE BARO,
PROCERES UNIVERSITATIS
EXCELLENTISSIMI,
GENEROSI AC NOBILISSIMI
DOMINI STUDIOSI
AUDITORES OMNIUM ORDINUM
SPECTATISSIMI:

SI vota precesqve felicitati publicæ dedicare magna pars eſt Pietatis noſtræ, certe non minus opus pietatis erit, pro Ipſo Moderatore vota Precesqve concipere. ILLE enim eſt vinculum per qvod RESPUBLICA cohæret, ILLE Spiritus vitalis, qvem tot millia tra-

hunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperii ſubtrahatur. Confido itaqve vitio mihi non verſum iri, ſi eodem fine in Illuſtri hoc PRÆCLARISSIMORUM VIRORUM congreſſu verba facere inſtituam, erga SERENISSIMUM POLONORUM REGEM JOHANNEM III. ſubjectiſſimam venerationem, humillimumqve obſeqvium meum teſtaturus; Teſtaturus, inqvam, erga Principem re ipſa non minus, qvam nomine Gratioſiſſimum, qvemqve majori, jure qvam Abyſſini Regem ſuum Belulgiani, hoc eſt, *JOHANNEM Pretioſum, vel Gemmam præſtantiſſimam*, dixero. Eqvidem fateor, tenuit me in ancipiti deliberandi cura, & in æqvilibrio qvaſi dubitationis, auderemnè periculum ſubire dicendi in re tanta viribusqve meis longè majori. Verum enim vero qvid non cogit fidelia pectora ſanctus ille amor PRINCIPIS? Hic qvicqvid grave facit levius, qvicqvid moleſtum jucundum, qvicqvid durum molle, ſecurum qvicqvid plenum periculi. Addit majores ſtimu-

los festivissimus & gratissimus dies INVICTISSIMO ac FELICISSIMO PRINCIPI JOHANNI III. REGI POLONIARUM sacer: Hic qvam maximè impellit, & citra dedignationem obseqvii tacendi mihi facultatem esse ademtam docet, splendoremq́;, qvo oratio mea destituitur, ab ipsa clementià Regia benignissimè mihi promittit. Habuit nempe veneranda antiqvitas, & adhuc habet gloriosa posteritas PRINCIPUM geniales & onomasticos dies in pretio: Orientis ille Monarcha XERXES diem, qvo diademate Regio ornatus, & a populo Rex salutatus fuit, in natalem Imperii adoptavit, eundemqve singulis annis solenni festivitate coluit. Populus Romanus JULII CÆSARIS natalem, qvem semper felicem & fortunatum expertus fuit, summa reverentia celebravit: Principem enim his diebus salvum intueri, est ipsam REMPUBLICAM eò felicitatis evectam cernere, ut vix humana sors habeat, qvo tollere amplius gentes possit. Salvo IMPERATORE, salva RESPUBLICA, olim

acclamabat ſuo IMPERATORI ipſa rerum gentiumqve Domina ROMA: hoc charitates omnes complectitur nomen: In hoc Tutores & Vindices & ſervatores adeo habemus: Itaqve & ego merito Solenni huic Luci conatum meum addo, & cum omnibus REIPUBLICÆ POLONICÆ *Illuſtriſſimis Membris* ac Subditis devotisſimis REGI NOSTRO CLEMENTISSIMO, *Salvo Rege Salva Reſpublica Polonorum*, ſubjectisſimè acclamo. Vos, Auditores Honoratisſimi, id conantem veſtra benevolentia qvæſo proſeqvimini, & qvod Elogium Optimo PRINCIPI paro, benigna attentione approbate. Ad Tua vero genua ante omnia, REX POTENTISSIME, advolvor, anhelans Gratiam Tuam, ignoſce, REGUM GRATIOSISSIME, Oratori perqvam imbecilli uſu, qvi in exteris oris MAJESTATIS TUÆ lumen & felicisſimum diei ortum adorat, Non dedignare hæſitantis conatum & obedientiæ munus quod ſub alieno coelo exſeqvor Paternis ulnis clementisſime excipe.

Con-

Conſtitueram qvidem initio A. H. ut conſtaret QVANTO de REGE loqverer, de Antiqvitate, Gloria, ac fortiſſimis rebus geſtis NATIONIS POLONICÆ præfari, qvam longè lateqve ILLA victricia arma circumtulerit, qvantis victarum gentium ſpoliis ditata, Aſiam terruerit, Ruſſiam domuerit, PANNONES, DACOS, THRACES vicerit, presſis opem tulerit, IPSI DANIÆ ante paucos annos feliciter ſubmiſſam; Sed ſatis ad propoſitùm fore duco, ſi liberæ REGEM NOSTRUM fideliqve REGIBUS ſuis Nationi imperare dixero. Libertatem ſane, animàm omnium præclararum actionum, qvæ hominem ſublimioribus naturis asſimilat, ab inferiorib⁹ diſtingvit & ad qvam priſci ſapientes, tanqvam fontem veræ inter homines tranqvillitatis, tot votis contenderunt, jure veluti proprio Inclyta POLONORUM NATIO ſibi vindicat, hanc propoſitam habet, in hoc qvaſi præmio laborat, nec immerito, qvod Sacræ Literæ Chriſtianis tribuunt, in humanis ſuum fe-

 cere,

cere, ſe ſemen Abrahæ eſſe, qvod ore REVERENDISSIMI & ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS non ita pridem manavit: Nulli ſervivimꝰ inqvit ILLE, nulli ſerviemus unqvam: Inductꝰ veterem ſapientiam NOBILISSIMÆ GENTI, cujus complexũ nomine Libertatis jam olim expresſit ſapiens ille Stoicus: *Nulli rei ſervire, nulli neceſſitati, nullis caſibꝰ fortunæ cedere.* Sunto Syri & Aſiatici genera hominum ſervituti nata; Adorent Aſſyrii & Medi dominationẽ; Ferant æqvo animo Africani avitam maledictionem, ut ſint Servi Servorũ: Liberrimꝰ *Sarmatarum* populus nullo unqvam externo jugo aut tentatus aut attritus reperitur, & qvæ magis admiranda eſt felicitas pulcherrimæ hujus libertatis, ſervavit eam in ipſo Monarchico Imperio, Regniqve & libertatis modum ita temperavit, ut inter ſupremam Unius poteſtatem, & multitudinis licentiam, firmisſimum conſervandarum Legum & Imperii fundamentum excogitarit, verisſimeqve

dici

dici posſit qvod dixere veteres olim Divino Regimini ſe ſubditos faſsi: *In Regno nati ſumus*, DEO (DEIqve Vicario Regi) *parere libertas eſt.*

Fidem vero in REGES, ſanctisſimum illud humani generis vinculum, tam arctè complexa eſt Polonia, ut gravisſimæ inſtar legis non ſcriptæ, ſed ingenitæ, eam obſervet; Et ſi alibi Reges majori numero à ſuis, qvam ab Hoſtibus interemti reperiantur; Poloni, procul hoc deteſtabili vitio, REGES SUOS in tam venerando ſolio conſtituerũt, qvod non novit, nec vereretur ſicarium, & qvod pulchrius eſt, nec captivitatem, ſoliqve proinde priſcum illud elogium auferunt. *Ipſos Regem colere, ut DEI cuncta ſoſpitantis Imaginem*: Qvodqve Dux Wirtenbergenſis EVERHARDUS non ſine conſpicua nota BONI PRINCIPIS aſſerere ſolebat, ſe tutò in ſinu cujuslibet ſubditi poſſe qvieſcere, id POLONIS REGIBUS proprium eſt ſymbolum: In ſinu cujusvis tuto poſſe obdormire: Cumq́; Hujus temporaria eſſet,

illis hæc felicitas perpetua atqve ut vere dicam hereditariâ est. Magna sane hæc est fides, gloria autem fide major, pietas longè maxima.

Tantæ igitur tam Liberæ, tam fidelis Nationis REGEM prædico Invictissimum JOHANNEM III, verum REGEM, qvia procul cœco impetu Hominibus imperat, qvod IMPERATOR ILLE in singulare suum Encomium vertit, Imperat enim in medio libertatis: REGEM sane summum, qvippe vere Sanctum inter Subditos, nec metu pœnarum, sed nativâ bonitate Subditorum Inviolabilem, qvod fastigium, felicitatis humanæ attingere nec ALEXANDRO M. nec JULIO CÆSARI datum fuit: PRINCIPEM Sui non immerito delicium humani generis, Terrarumqve suarum dicendum, qvibus Pium amorem exhibet, & qvantum nomine pollicetur, tantum Patriæ impendit, Gratia Sua Annales fatigaturus: PRINCIPEM, inqvam, Imaginem non solum REIPUBLICÆ, sed omnium SERENIS-

SIMORUM ANTECESSORUM, QVORUM cælo dignas Virtutes in UNO conjunctas videas. Fatendum eqvidem est, orbem creberrime causam habuisse, admirandi lucem illam in SERENISSIMIS REGIBUS POLONIÆ coruscantem: In PIASTO Privato adhuc, Regiam Munificentiam cœlitus datam, IPSUMQVE annorū numeris ultra humanas vices liberaliter auctū. In BOLESLAO CHOBRIO fortitudinem, REGIUM Diadema meritam, Judice Sapientissimo ROMANI IMPERII ARBITRO OTTONE III. In CASIMIRO I. generosam Patientiam, qva Subditis maluit cedere, ut in meliora tempora SE servaret, sed mox militaribus Virtutibus splendidam. In CASIMIRO II. veræ Libertatis AMOREM, qva altiores Turbarum REGNI radices fortissimè eruit, ut REGNO suo semper qvies constaret. In BOLESLAO PUDICO triumphantem in SOLIO REGIO verecundiam. In CASIMIRO M. juris & æqvi amorem infimis æqve ac Potentioribus se

impertientem. In VLADISLAO JAGELLONE cum Victoriis & Prudentia ſociatam Pietatem. In SIGISMUNDO I. felicem opulentiam. In SIGISMUNDO AUGUSTO Legum cuſtodiam. In STEPHANO Magnanimitatem ſapientiæ dedicatam. In SIGISMUMDO II. æternam inter Trophæa Turcica coruſcantem Gloriam. In VLADISLAO Decus Septentrionis & CHRISTIANISSIMI PRÆSIDIUM, qvo Elogio IPSE SUMMUS PONTIFEX EUM fuit proſecutus. In JOHANNE CASIMIRO Generoſitatem, & CHRISTIANO ORBI non armis tantum, ſed animo proficuum Zelum, qvo ORTHODOXI nomen TITULIS REGIIS addidit, non minori cum Gloria, qvam FLAVIUS RECAREDUS GOTHORUM in Hiſpania Rex, CATHOLICUS olim, communi orbis conſenſu ob ejectos S. SANCTÆ TRINITATIS hoſtes fuit proclamatus. In MICHAELE deniqve indefeſſum amorem Patriæ & incorruptam Humanitatem. Et ſanè lugendi eſſent

TAN-

TANTI HERÕES, niſi HEROI NOSTRO Fata locum feciſſent, ut conjunctis Virtutibus SINGULOS exprimeret, Animiqve ac Fortunæ SINGULORUM VIVUM EXEMPLAR exhiberet.

Si enim in Natales SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI inqviro, video longo ordine HEROES, video EORUM Pietatem, Fortunas, Potentiam, Authoritatem, video EORUM Virtutib⁹ REMPUBLICAM fundatam firmatamqve, tam manu promtisſimā, qvam conſiliis expeditiſſimis. Servat inprimis RESPUBLICA memoriam AVI & PARENTIS, PRINCIPIS SENATORUM, Qviq; dignitate proximum Purpuræ locum tenuit, veneratur EOS & ad Cœlum usqve extollit laudibus. His A. H. veluti præluſum eſt, REGI MAXIMO ad majora, & cum in naſcendi felicitate IPSI deeſſet, qvod Rex Orbem non ſalutaverit, attamen voluit Natura indicare, qvod naſcendi ſors negaverat, IPSUM Virtute ſua id poſſe conſeqvi; Confirmavitqve ANTECESSORIS Ejus Felicis memoriæ MAGNI STE-

PHANI REGIS POLONIÆ re-
ſponſum: Clariorem eſſe Eum, qvem
Virtus, qvam qvem venter Matris Regem
fecerit. Superavit itaqve SUORUM Felici-
tatem ac gloriam longo intervallo, & in-
ter FAMILIÆ SUÆ Decora, non ut Luna in-
ter ignes minores, ſed tanqvam inter Si-
dera Princeps PHOEBUS coruſcat ſplendo-
re. Emicuit Hæc Regia Indoles in Eo pe-
nè adhuc Infante, & in Puerili Corpore,
magnus animꝰ conſpiciebatur, qvam æta-
tem utut tranſiliam, adduci tamē non poſ-
ſum, ut diſſimulem ardorem Juvenilem
Regiones diverſas Nationesqve viſen-
di: Videlicet jam tum illud Heroicum
ſubibat animum, non omnium unam Re-
gionem æqve feracem eſſe, & foris appa-
rere, qvæ domi non videntur; Immo ani-
mum ita ad caſus qvosvis obdurandum
eſſe, in qvibus ſi vires deficerent, pro-
ſtratam Virtutem eſſe noverat. Sic Eun-
tem jam tum capacem magnarum rerum
orbis ſenſit, traxitqve VULTUS Ejus Au-
guſtus & MAJESTAS ORIS in admiratio-
nem

nem PRINCIPES. Reducem vero mox admirata est Patria, & IPSA Indoles præsagium fuit non unius Triumphi, cum vix militem jam, ACHILLEM spectaret. Certe totam vitam exegisti in armis REX SERENISSIME, nullumqve non mensem habuisti Martium; IPSE TE in Exemplum militi statuens, qvo Humum pro cubili capere, cibum qvemcumqve boni consulere, insomnes noctes agere & vereri semper hostem FORTISSIMI DUCIS SUI Providentia didicit, etiam tunc cum minime speratur. Tanti scilicet est FRUGI DUCE regi & ad præclara facinora capessenda animari. Luxuriam verò angue pejus & Cane odisti REX PRUDENTISSIME, qvæ ne Exercitum Invictum vinceret, ceu Capua Fortissimum HANNIBALEM sedulo vitasti, cum illa lentum qvasi ac tandem funestum sit Venenum. Ingemuit ad hæc SCYTHA, & mala qvæqve cœpit ominari TE DUCTORE, mox reipsa sensurus, qvod antehac à DIVO VLADISLAO Eodem prope in tractu expertus

 fune-

fuerat, vires ſuas Inferiores eſſe virtute POLONORUM. Nimirum AMBOBUS, eodem in Loco, iiſdem præludiis ad Regnum fuit eundum, ut Univerſis conſtaret dignos eſſe Regno, QVI à Barbarico Hoſtium impetu, illud tam ſtrenuè eſſent tutati.

Horret animus cogitare ſuperba conſilia Vaſtæ PORTÆ OTTOMANNICÆ, qvibus Totam POLONIAM ſubrutum ibat, Tremendum Exercitum, qvo concuſſo hoc antemurali, Univerſum CHRISTIANUM ORBEM SE inundaturam minabatur, Atroces inſultus, qvibus jam pagos, Oppida, Ipſaqve Caſtella impetebat: Jam capta vi dolovè CAMINECIA, triſtes ſtrages Urbium, ac Provinciarum prænunciabat, jam IPSE OSMANNIDES SE altius efferre, & cum Subjectam SIBI cerneret, QVAM DEUM extruxiſſe, DEUM qvoqve SOLUM expugnare poſſe crediderant Majores Ejus, longe majora animo complecti, maximæqve parti melioris Europæ excidium agitare. Sed non abjecerat curam Piæ POLONIÆ

NIÆ SUÆ DIVINA PROVIDENTIA, nondum conclamatum erat de Fortitudine Bellicosissimi Populi, nefas erat SEMEN ABRAHÆ, Hagaris Filio, Liberrimam Gentem, Populo ad servitutem nato subjici: Tu enim destinatus eras FORTISSIME PRINCEPS JOHANNES, QVI magno isto metu non Patriam modo, sed Europam liberares, Tu Virtutem Majorum in POLONIS TUIS resuscitabas, TU Generositatem EORUM tanqvam fortissimum Vallum objiciebas ingruenti isti inundationi; & Muro circumdabas POLONIAM, non Latericio, sed Qvali Ferreus ILLE PRINCEPS HASSIACUS ArcemSuam coram Imperatore FRIDERICO, cum ILLE Ipsam muro carere causatus esset, Eductis Proceribus & Subditis armatis; Eò magis autē admirando, qvia non amico, sed Hosti Imperatori, nec ad spectaculum, sed immanem vim hostilem amoliendam, nec pro Arcis Unius, sed Integri Regni salute à TE struendus fuit, Muro inqvam Vivente, & pristi-

num Illum SARMATICUM vigorē ſpirante. Jamqve ſigna inferebas atroci Hoſti, vehementiùs inibas certamen, fretus bona cauſa potius qvam copiarum numero, & nihil moratus ſtridentes Acinaces, furentiumqve Tormentorum Fragores, in mediam Aciem Hoſtium TE immittebas, expletis boni Militis pariter ac Egregii Ducis partibus. Tunc ſubito Hoſtis trepidare, non vultum, non colorem retinere, ſed in Caſtris tumultuari, pavere & metuere. Retrahebat ſigna, fugam meditabatur, Præſidiumqve à Muris CHOCIMENSIBUS petebat: TU vero perſtringere valla, exturbare ſedibus ſuis morantem, & Victoriæ opinione tu mentem ſternere, oſtendens inſolenti Barbaro, nihil eſſe difficilius, qvam POLONI Armati latus fodere. Manabat cruore Barbarico ſolum, expugnabatur CHOCIMUM, ſed qvid dico expugnabatur, conſervabatur Urbs, & cum Ea univerſa POLONIA. O Inſignem Victoriam, Victoriam qvæ omnium Scriptorum calamos

lamos movebit, omnium animos admiratione occupabit, qvæqve Justius TIBI agnomen, GETICI, ALANICI, SCYTHICI, imò TURCICI, TARTARICI, à devictis Hostibus peperit, qvam DOMITIANO, vel ANTONINO CARACALLÆ, à SARMATIA nomen, qvam nunqvam attigerant, adulationis causa tributum; Victoriam inqvam cui non puerili voce, sed Virili omnium Bonorum Ore, ob servatam SARMATIAM accinatur, qvod olim AURELIANO ob cæsos SARMATAS acclamatum fuit. *Mille, Mille, Mille, decollavimus, Unus Homo, Mille, Mille, occidit.*

Sed Majora tunc agitabat Benignissimum NUMEN, Cujus consilia profundissima humiliter veneramur, dum in operib⁹ conspiciuntur. Oportuit vicem reddi Meritis Tantis: Docendi de novo fuerunt, Qvi Regna capiunt, non raptum ire Imperia, sed mereri. Idem tempus scilicet, qvo læto Victoriæ Nuncio excitata fuit POLONIA, tristi morte ereptum

 MICHA-

MICHAELEM REGEM SUUM Desideratissimum lugendum indixit; Erepti poterant videri Tantæ Victoriæ fructus Polonis, qvippe langvescentibus, resecto CAPITE Regio; Poterat sævus Hostis animum sumere, & pro inusitata clade accepta vindictam meditari, dum RESPUBLICA viduam sine Sponso vitam agebat. Sed satis erat TE Vindicem REIPUBLICÆ adhuc superesse. In TE oculi mentesqve omnium dirigebantur.: Ceciderat MICHAEL stabat JOHANNES, non Statuis honorandus, sed IPSE in SOLIO REGIO statuendus: Emeritus eras, GRATIOSISSIME PRINCEPS, Gratiam CONCIVIUM TUORUM, PATRIÆ, TOTIUS EUROPÆ. Nemo erat, qvin TE ad felicitatem REIPUBLICÆ divinitus esse constitutum agnosceret. Commonstrabat TE velut intento digito BEATISSIMUS REX Defunctus, Turbatæ REIPUBLICÆ, Cujus Auspiciis secura esset. Nunqvam ALEXANDRI Judicium de Successione DIGNISSIMI verius locum

habere

habere poterat, qvam in TE, QVO Dignior non erat ad solium capiendum, Qvod tam strenue tutatus fueras. Nec EPIROTARUM REGIS vox, Hunc Sibi è Filiis successurum Qvi fortiùs acinacem strinxisset, de His adeo, qvam de Te dicta fuit, Cujus Acinaces Tot millium sangvine effuso maduit. Cerno Consultantem POLONIAM, seu potius consilia Jungentem, adest innumera CANDIDATORUM REGNI seges, nec Inopes, nec imbecilles, è RUSSIA, GERMANIA, GALLIA, obrepit Ratio qva præteritis Temporibus externum maluerunt Regem, qvam Indigenam. Sed senserant jam ante NOBILISSIMI PROCERUM, non amplius abjiciendam esse naturalem in Sangvinem proprium propensionem, præferendam Invidiæ ac æmulationi Heroicam in Patriam Charitatem, exempla Meliorum Populorum omnium seqvenda, Suaqve non minus ac illorum interesse, ne Decus CORONÆ amplius ad Exteros transferretur, sed Pia-

stus, Princeps inqvam Indigena constitueretur: Nec aberrarant à commodis Fortunaqve Publica in Eo, Qvem insigni Prudentia ad Thronum assumserant. Jam vero longe plures & graviores causæ concurrebant cur Serenissimum JOHANNEM verè nostrum respicerent, non tanqvam Piastum modo, sed Piasto Majorem, Qvi non cibo Civibus Unius oppidi, sed Civibus universi Regni, ut tutò cibum caperent, vigilantissime prospexerat. Assurrexerunt itaqve & Liberatori Suo se submiserunt, Qvi Unus molem posset Reipublicæ sustinere, longè certius, qvam Fictitius Atlas molem Coeli. Prosecuti sunt Electionem Proceres congratulationibus, Cives acclamationibus Eandem adorarunt, Pompæ in urbibus & Triumphales Ignes Communem applausum confirmarunt. Universis certum erat, Regem Suum non amore Dignitatis, Sed Patriæ, non tam Cupiditate, qvam alieno periculo Sceptrum suscepisse, nec pretio, aut prece,

Sed

Sed virtute purpuram emisse. Contemplabantur Excelsum illum animum majora bona in dies PATRIÆ operantem, ineffabilem Virtutē lætissimis palmis perpetuò germinaturam, magnarum cogitationum capax Ingenium, mentem consilio & prudentia foetam, Vultum gratiâ, Frontem Serenitate plenam, Oris affabilitatem, & Morum integritatem, & supra omnes Mortalium imo Invidiam collocatam agnoscebant. Ominabantur sibi optima qvæqve de felicitate Hostium sangvine fundata, & Propitio NUMINI gratias agebant devotissimas de MAXIMO REGE, QVEM non à se fieri, sed factum coelitus demitti non dubitabant. Audire erat veteri illo more occinentes, *Qvadragies, Sexagies, Octuagies*: AUGUSTE JOHANNES, *DEUS Te nobis præstet*, JOHANNES AUGUSTE *Te RESPUBLICA reqvirebat*, JOHANNES AUGUSTE, *Tu Frater*, *Tu Pater*, *Tu Amicus*, *Tu Bonus Senator*, *Tu vere Princeps.*

Nec Eventus defuit auguriis, reſponderunt Fata Votis, & qvicqvid ab Optimo deſiderari poteſt PRINCIPE, id in REGE NOSTRO RESPUBLICA invenit. Qvid enim commemorem Pietatem Ejus, Qvem Largisſimis Pietatis Præmiis DIVINA MAJESTAS tantoperè cumulavit. Impietas eſt ruina PRINCIPIS & magnus animi morbus: Pietatem igitur in ANIMO Hoc REGIO firmas radices egiſſe perſvaſum nobis eſt, qvi tot proſperos eventus, & adſpirantem cœptis REGIIS Cœleſtem Spiritum admiramur, ut ſi Qvemqvam alium, certe hunc DEI GRATIA REGEM dici oporteat: Vaſtum vero Oceanum ingredior, dum loqvor de asſidua Cura, qva non ſolum maxima, ſed & minima REGNI SUI REX SERENISSIMUS NOSTER complectitur. Qvis enim non veneretur illa itinera, in diverſas REGNI POLONICI partes, non præſcripto Legum ceu Aliarum Nationum PRINCIPES, ſed proprio

prio

prio motu ſuſcepta? Videmus Solertissimi PRINCIPIS vigilantisſimum animum, dum Cunctis conſuli, Cuncta ſarta, tecta, tuta præſtari, Partes Labantes ſtabiliri, Inclinantes erigi, Solidas vult confirmari, & ut paucis multa complectar, Omnibus Præsens eſſe, adeoqve veram imaginem Juſtæ Reipublicæ exprimere, Cujus reqviſitum Nunqvam abeſſe, Nunqvam deeſſe iis, qvos Fidei commiſſos accepit. Memoriæ proditur Abysſinorum Regem, rarò uno loco ultrà triduum conſiſtere, ne Aulæ Comitatus Eum exhauriat: At PRINCIPIS NOSTRI Receſſus, acceſſusve longè diverſisſima Ratio: Neqve enim timet, ne qvam Provinciam exhauriat, ſed curat, ne ulla pereat. Conſpicio in Rege Nostro ADRIANUM Provincias IMPERII SARMATICI obeuntem, nec SCYTHICAS PRUINAS paſſum, ſed RUINAS Amolientem, aut CAROLUM M. Regnorum Suorum partes luſtrantem, vel Monarcham Se-

ptentrionalem ſtatos Circuitus ſuos obſervantem. Non ſinit tempus,ut diſputem de translatione Sedis Imperialis ROMA CONSTANTINOPOLIM, non ſinit,ut inqviram Commoda vel Incommoda IMPERIO ROMANO exhinc allata, non patitur videre, an CONSTANTINOPOLIM ſeligi oportuerit ad reprimendos Barbaros ab Oriente ingruentes,& annon ROMA Præſidiis nudata, Populorum Septentrionalium prædis fuerit expoſita ; Conducit tamen ad rem Præſentem, ſi aſſeruero JOHANNEM III. REGEM POLONIARUM PRUDENTISSIMUM, PRUDENTIS PRINCIPIS officio ſatisfacere, dum Sedem Suam ſtatuit, qvæ IPSO maximè, eget vitam infundere ſingulis partibus, & qvod ANGLI de REGE SUO ajunt, omnium Somnos Sua Vigilantia, omnium otium Suo Labore, omnium delicias Sua Induſtria, Omnium Vacationem Suis Occupationibus defendere.

Sed

Sed qvid nunc dicam de Sapientia Vigilantiæ REGIÆ Comite. Teſtor præſentis anni negotia: Qvis enim tam peregrinus, cui non conſtet difficilis Comitiorum Polonicorum progreſſus in tanta Civium Poloniæ Libertate? Qvis ignorat Ea noſtro tempore ſine fructu ſæpe diſſoluta? At Nupera illa ut è difficultatibus tantis proſperè eluctarentur, Sapientia cauſabatur REGIA. Diſpoſuit REX SOLERTISSIMUS tot diſſonas voces in Suavem Harmoniam, aptavit in diverſum euntes rotulas magnæ illius Machinæ publicæ, ut uniformi motu decurrerent, tardantiaq; ſuffragia promovit. Qvid dicam? Comitia feliciter finiit, finiit eo tempore, qvo in Azymis ſinceritatis & veritatis expurgato fermento veteri feriari Apoſtolica autoritate jubebamur, & dum Chriſtiani Reſurgenti poſt maximam Luctam SALVATORI applaudebaut applauſerunt auſpicato ſucceſſui REGIO REGNI ORDINES, EXTERORUMQVE PRINCIPUM

LEGATI. POLONIAM alias laborare morbo Comitiali acutè magis, qvam verè dixit LEGATUS olim PONTIFICIUS. In REPUBLICA LIBERA enim Unumqvemq; jure ſuo uti non vitium, ſed temperamenti talis corporis in ſingula membra dimanans eſt proprietas, qvam ſi qvi defectus comitantur, communi rerum humanarum conditioni erunt tranſcribendi. In Civilibus nihil eſt, qvod omni ex parte incommodis careat; Nullam Legem ſatis commodam eſſe, id modo qværi, ſi Majori Parti & in ſumma proſit, CATONEM dixiſſe accepimus. Si tamen morbus eſt, dicemus REGEM FIDELISSIMI in tollendo eo Medici munere functum fuiſſe, non immemorem AUTORITATIS REGIÆ. In lucem produxit qvicqvid ab interna invidia aut diffidentia in tenebris agitatum fuerat, Partes Convulſas blandè continuit, Diſſidentium vehementiâ Conſilia cohibuit, planè eo modo qvo Medicorum Filii ſvadent, corpus affectu comitiali raptũ, loco Lucido collocandum,

dum, caput altius ponendum, partes convulſas blandè componendas, & fricandas, membrorumq; agitationes vehementes cohibendas eſſe, ne corpus nimium fatigetur. Liberavit itaqve periculoſo affectu REGNUM SUUM, innoxiis ſalutem, Laborantibus medelam attulit: IPSE non TUTOR tantum & PARENS, ſed MEDICUS SAGACISSIMUS REIPUBLICÆ. Neqve tàm citò finita fuerant, qvin Fructum Eorum conſpicari licuerit: Amicitia cum SACRATISSIMO LEOPOLDO non cœpta, ſed novo fœdere aucta, decretaqve arma Socialia. O Fructum Maximum Univerſæqve Rei CHRISTIANÆ dulciſſimumum, qvippe eo tempore editum, qvo exitioſa illa Peſtis ab ORIENTE Nobis cœpit incumbere. Cedant Qvibus olim ſuſpecta viſa eſt POLONORUM cum AUSTRIACIS Amicitia. Si felicitas REGNORUM Vicinarum Gentium Fœderibus ſtabilitur, Næ maxima HUNGARIÆ & GERMANIÆ pariter ac POLONIÆ ab Hac

Amicitia accedet, qvippe in Communem Hoſtem fœderata, inter cujus technas fuit, disjunctam modo HUNGARIAM, modo POLONIAM petere, ut AMBABUS potiretur. Macti eſte ea POTENTISSIMI PRINCIPES: adſtringite Ipſam fortioribus vinculis, ut ſit æterna: Ite Felici omine in Hoſtem Bellis inſatiabilem: Immo itis FELICIBUS Avibus. Nam Aqvilæ AMBORUM Inſignibus inſerviunt: Gerite cauſam Communem imo cauſam DEI fortiter: Eſte HANNIBALES ante PORTAM OTTOMANNICAM: Liberate Terribili Nomine Turcico CHRISTIANOS, & ad GARAMANTAS profligate. Injurius vero forem in Hunc Locum & in POTENTISSIMUM DOMINUM EIUS, SERENISSIMUM ELECTOREM BRANDENBURGICUM, niſi & cum HOC, veterem à MAJORIBUS cœptam, ab IPSO roboratam amicitiam à REGE NOSTRO coli prædicarem. Cauſam olim præbuit Vicinia, auxerunt amores Conjugales, aſſumtæ olim

lim in THORUM ELECTORIS HEDVIGIS REGIÆ FILIÆ, inde majores coaleſcendi quotidiè natæ. IPSE SERENISSIMUS ELECTOR paratis auxiliis declaravit, qvanti æſtimet POLONIAM. Faxit DEUS ut Iidem amores porro creſcant, ut UTRIUSQVE POTENTISSIMI PRINCIPIS Salutem promoveant, ut præſentisſima media ſint depellendis Incommodis REGNI POLONICI pariter ac ELECTORALIUM DITIONUM. Nec alia INVICTISSIMI REGIS in reliqvos Vicinos propenſio, tenendæ quippe per EUROPAM Paci INTENTI, nec REIPUBLICÆ Conſilia aliud præferunt. Inſonat adhuc MAGNANIMORUM POLONORUM Auribus Sacro Sancta illa VOX PREMISLENSIS EPISCOPI. *Paci Publicæ à* NOBIS *conſulitur, & ubi arma Noſtra exerceamus ſatis ſuperq;* NOBIS *eſt, non temerè* POLONI *in* CHRISTIANOS *ſtringunt gladios, Barbaris undiqve cincti Nationibus, Quas Virtute & ſangvine ſuo arcent, ne totis*

 agmi-

agminibus in EUROPAM *se effundant.* Qvid amplius commemorem? An Humanitatem PRINCIPIS NOSTRI? Atq; Illa omnium animos tanqvam Adamantinis Vinculis devincit, SIBIQVE obnoxios reddit. Justitiam ad Redivivam MARCI IMPERATORIS Imaginem circumgestat, qvippe per omnia Moderatissimus, in Hominibus terrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandi copia, indulgentia Liberandis; Qviqve facere amat ex malis Bonos, ex Bonis Optimos; Aliasne adhuc Virtutes producam? Qvid non in ILLO mirabile, qvid non conspicuum? qvid non Triumphalibus Vetustissimis præferendum. In QVO TRAJANI Virtus, ANTONINI Pietas, AUGUSTI Moderatio, & MAGNORUM PRINCIPUM bona sic extant, ut non ab ALIIS exemplum capiat, *sed etiamsi* ILLI *non extitissent*, HIC *Cæteris relinqvere posset exemplum*, ita liceat mihi in rem præsentem dicere, qvod Veterum Nonnemo de DIVO CLAUDIO II. IMPERA-

RATORE ſcripſit. Nunc vero A.H.qvid reſtat, niſi ut calidis Votis & Fauſtisſimis Acclamationibus Feſtivitatem Hujus Diei tranſigamus. Sed non exſpectabitis monumenta ex Veterum Fabularum Involucris Dierum Faſtorum & Nefaſtorum depromta, vanam enim hanc Religionem jam tum Prudentiores ſunt ludificati; proſperoq; Eventu contra Vulgi opinionem minimè obſervandã eſſe cenſuerunt; Ipſe ALEXANDER menſem Junium ſecundum Majum juſſit appellari: Profectò ut contemta ſuperſtitione oſtenderet poſſe SE feliciter dimicare. Non indiget Dies Hodiernus Ominis, dum feliciſſimum Omen à SACRATISSIMA REGIA MAJESTATE proficiſcitur. O Feliciſſimum Diem Qui TIBI Spiritum, tot verò GENEROSIS POPULIS Maximæ Felicitatis primordium conceſſit: Rediit TECUM REX SERENISSIME dũ auram ſalutaſti & aureum ſeculum PATRIÆ, & ſperata Tranqvillitas POPULORUM. Superaſti INVICTISSIME HEROS ſpes Omni-

um, & Vota Beneficiis TUIS cumulaſti; ſuperaſti REGES Pietate, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, Clementia, Humanitate, volvimus & revolvimus ALIARUM GENTIUM Annales, qværimus Tibi Parem, ſed fruſtra id inveſtigamus, cum ALII à TE exemplum depromant. Redeat igitur ILLE Dies ſemper felicisſime, & inuſitata Mundo oſtendat miracula, ſit ILLE à Latere TUO, PATER PATRIÆ BENIGNISSIME, in Qvo vivimus & movemur & ſumus, ſalva ſervet Conſilia & cuſtodiat progredientem. Adæqves GLORIOSISSIME HEROS TERROR ORIENTIS, TURCARUM, TRIUMPHATOR, adæqves AUGUSTUM *Imperio*, PERICLEM *Judicio*, ALEXANDRUM *Bello*, numeres tot Victorias, qvot annos, apprecamur TIBI SENATUM FIDELEM, EXERCITUM FORTEM, FORTUNAM CONSTANTEM, IMPERIUM PERENNE. Conſervet BENIGNUM NUMEN SERENISSIMAM AUGUSTAM TUAM, MATREM PATRIÆ,

TRIÆ, QVÆ toties TE FELICISSIMUM PATREM effecit, FOEMINAM QVÆ Sola TANTO HEROE DIGNA inventa, dum Natura EAM, ceu consummatum Virtutum Exemplar Mundo exhibuit. Tueatur IDEM REGIAM PROLEM Virtutum TUARUM HEREDES, ut videant sera Fata, & Facta SUA Æternitati insinuent. Protegat POLONIAM TUAM, undiqve cinctam Hostibus CHRISTIANI Nominis, QVÆQVE in periculosa statione non tantum insomnes ducit noctes, sed pro Reliqvis CHRISTIANI Nominis REGNIS vigilat. Servet PROCERES, servet POPULUM, ut REX diù POPULO, Populus diù REGE qveat gaudere. Vobis vero MAGNIFICE DOMINE RECTOR, GENEROSISSIME DOMINE BARO, PROCERES UNIVERSITATIS EXCELLENTISSIMI, AUDITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, dum Oratio mea ad Finem decurrit, VOBIS inquam, pro exoptatissima

Præſentia VESTRA humillimas ago ſgratias, ſimulq; egregiam VESTRAM in me Humanitatem agnoſco. Exſtabit Beneficii hujus VESTRI apud me memoria perpetuo, Seduloqve annitar ſemper, ut me gratum probem; Ignoſcite prolixitati meæ, Date veniam, ſiqvid minus digni tanta materia protulero, & non tam ſplendidè dictis, qvam HEROICIS ACTIBUS REGIS SERENISSIMI JOHANNIS III applaudite.

D I X I.